

benedictio nuptiarum in missali praescripta inter missam, extra ipsam missam ut plurimum impertitur, quaeritur: utrum liceat hunc ritum a Missa abstrahere et quatenus negative, utrum Episcopis et Parochis jus sit adigendi Sponso ad benedictionem in missae celebratione recipiendam?

S. C. resp.: Nihil obstat quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 4840 ad 2 die 1. Sept. 1838.

#### Limburgen.

Reverentissimus Limburgen. Episcopus SSmum D. N. Pium IX. P. M. humillimis precibus adiens sequentium Dubiorum declarationem rogavit, nimirum:

1. Quum ex S. R. C. Decreto diei 1. Sept. 1838 in Eichstaden. benedictio Nuptiarum, quod frequentissimum etiam in hac Limburgensi Dioecesi est, a Missa abstrahi licite possit, et Sponsi ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam adigi non debeant, quaeritur: utrum, si eandem benedictionem a Missa abstrahi, et tardioribus diei horis cum ritu celebrandi Matrimonii conjunctam impertiri, de mane tamen petentibus Sponsis Missam celebrari contingat, votiva pro Sponso et Sponsa cum iisdem privilegiis ac alias sumi valeat, an vero et in ipsis etiam votivas admittentibus diebus, Missa currens aut alia, exclusa Missa pro Sponso et Sponsa, cui forte abstracta benedictione locus amplius non sit, dici debeat?

2. Quum Agenda Limburgensis anno 1838 sub Praedecessore meo edita benedicendi Matrimonii ritum duplicem exhibeat, quem in Pagella adnexa videre licet, quaeritur: utrum quoties benedictionem ut supra a Missa abstrahere contingat, hunc Agenda ritum retinere liceat, an vero ritum Missae pro Sponso et Sponsa inser-

tum, etiam extra Missam omnino adhibere oporteat?

3. Denique in hac Dioecesi, sicut in pluribus Germaniae, tempore Feriarum non solum Nuptiarum solemnitates, sed ipsae etiam Nuptiae ex consuetudine prohibentur, nisi adsit dispensatio Episcopi. Hanc dispensationem ab Episcopo auctoritate ordinaria concedi posse, dummodo adsint causae sufficientes, certe in dubium vocari nequit, quum de sola consuetudine particulari agatur. Quaeritur autem: an Episcopus in casibus particularibus et ob rationabiles et graves causas etiam in hoc dispensare possit, ut secluso quidem semper alio quocumque apparatu ac strepitu nuptiarum benedictio tamen solemniter more debito adhibeatur? Quum enim in re Auctorum et etiam gravissimorum non una sit sententia: affirmantibus siquidem quibusdam alii id omnino denegant; ad dubietatem omnem eliminandam Apostolicae hujus S. Sedis declaratio exquiritur.

Sanctitas Sua super requisitis a Rmo Episcopo Oratore, audita a subscripto S. R. C. Pro-Secretario relatione fidei, mandavit ut Dubiis ipsis juxta Mentem Suam et alias decreta responsa darentur, nimirum:

Ad 1.: „Juxta Decretum Urbis et Orbis latum die 20. Dec. 1783 Missa in Nuptiis semper debet esse votiva pro Sponso et Sponsa ut in Missali, praeterquam in Festis de praecepto et Duplicibus I. et II. Cl., in quibus Missae occurrenti addenda est commemoratio pro Sponso et Sponsa. In ea vero assignata Benedictio juxta Rubricas non est impertienda nisi in Missa.“

Ad 2.: „Provisum in praecedenti, et quando impertienda est Benedictio, omnino servetur Rubrica Missalis. Quoad specialem benedictionis formulam extra Missam, *Relatum*.“

Ad 3.: „In casu nuptiae celebrentur sine solemnitate, ideoque privatim sine Missa et Benedictione temporibus prohibitis.“

N. 5190. Die 23. Junii 1853.

Benedictio Contrahentium Matrimonia non est facienda a Parocho extra Ecclesiam sed in Ecclesia. S. C. C. 17. Apr. 1649.

Benedictio Nuptiarum non potest fieri nisi inter Missarum solemnitas. S. C. C. 13. Julii 1630.

#### 2) Promulgatio.

Denuntiationes matrimonii fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. S. C. Ep. et Reg. 18. Dec. 1589.

In Ecclesia, quae simul parochialis est et collegiata, denuntiationes matrimoniorum et Ordinandorum aliaque similes functiones parochiales arbitrio parochi fieri possunt vel in missa paroch. vel convent., quando pro utraque habet concursus populi. S. C. C. 8. Julii 1724.

Denuntiationes matrimoniales ex justa causa possunt etiam fieri diebus

festivis, dum cantantur vesperae. S. C. C. 25. Oct. 1586.

Non potest parochus in ecclesiis Monialium Ordinario subjectarum matrimoniales denuntiationes facere. S. C. C. 23. Aug. 1727.

*De promulgat. ineund. matrimoniorum et de earum dispensationibus*, vd.: *Bullam Bened. XIV.* die 18. Maii 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 161. X. etc.)

#### 3) Secundae.

Vd.: *Bened. annuli Nupt. secund.*

#### 4) Tempus vetitum.

*Ad dubium*: An concessa per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a s. Concilio vetitis, in iis locis, in quibus dispositio ejusdem Concilii ad ipsum quoque matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, intelligatur permissa traductio sponsae seu uxoris ad domum viri?

S. C. C. resp.: Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitate. Die 10. Junii 1684.

0.

brante ad Offertorium; extra vero Missarum solemnitas a prima Dignitate vel digniore Ecclesiae presbytero praesente. n. 1865 die 26. Jan. 1658.

Usus oblationum in Missis nostris temporibus non habet Ecclesia rom., nisi in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, ordinationibus et similibus. n. 2345 ad 18 die 31. (Julii) 1665.

#### OBLATA.

(Incens.)

Vd.: *Parasceve* (oblata).

#### OBLATIO.

##### 1) Infra missam.

Oblationes Intortitorum et Calicis apud altare accipiendas esse a Cele-

ceptorum administratione ille, qui est actu a Daemone obsessus, Textus in *Canone Maritum dist. 33. ibi: vel afflictione Diaboli vexatus est; et concordat Canon. 13. Concilii Tolentani 11. ibi: bene quidem majorum regulis definitum est, ut daemone aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat, cui praecepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a Daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursum efferuntur, vel Sacris audeant ministrare Altaribus vel indiscussi se Divinis ingerant Sacramentis.* Alibi quoad obsessos, postquam Ordines receperunt, decernitur, eosdem in Ordinibus ministrare non posse, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati et Episcopus suum praestiterit assensum, uti legitur in *Canone Communiter dist. 33. ibi: qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab Officii sui Ordine et loco suspensi quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursum Daemonum liberati.* Quoad obsessos vero et jam liberatos: an ad Clericatum, si adhuc Clerici non sint, vel ad majores Ordines, si Clerici sint, ascendere et promoveri possint, aliqua adesse videtur in Sacris Canonibus Antinomia; in antiquo enim et venerabili Canone 78. inter eos, qui Apostolici dicuntur, sic legitur: *si quis Daemonem habet, Clericus non efficitur, sed nec cum fidelibus preces fundito; Mundatus vero recipitor et si fuerit dignus, efficitur scilicet Clericus; et e contra in Canone Clerici dist. 33., sic disponitur: Clerici, qui in Adolescentia a Daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt, et hinc factum est, ut nonnulli, quemadmodum visum est ex Auctoribus, censuerint*

obsessum a Daemone, sed liberatum, posse ad Clericatum, et ad ultiores Ordines promoveri, propter auctoritatem videlicet Canonis Apostolici, cui dicunt derogatum non fuisse ab allegato *Canone Clerici*, cum intelligi hic possit de obsessis a Daemone et non liberatis, et alii e contra senserint, obsessum a Daemone, licet liberatum, esse perpetuo irregularem quoad Ordines suscipiendos, cum Canon Apostolicus editus fuerit tempore, quo pauci inveniebantur, qui Clerici esse vellent, et posterior Canon Clerici praesentem rerum statum respiciat, in quo homines non desunt, qui Altaris Ministerio inserviant et Clericatum assumant.

Postremam hanc opinionem Sacra haec Congregatio amplexa est in Panormitana dispensationis 10. Aprilis 1683, ut ex sequenti habetur resolutione: *Frater Mansuetus de Panormo Clericus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci ejusdem Provinciae exponens Sac. Poenitentiariae, se per aliquod tempus a Daemone obsessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi Ordines Sacros. At Sacra Poenitentiariae audito Procuratore Generali, qui ita retulit: Vesposto dall Oratore è vero; come appare da una fede autentica sottoscritta da Religiosi degni di fede, e confermata da quel suo Superiore Provinciale, onde si potra graziare tanto parerà a Sua Beatitudine instantiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, cui proinde supplicatur declarare: an petita dispensatio Oratori sit concedenda etc.?*

S. C. C. resp.: *Pro nunc negative.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. discernere:

I. *An Orator sit de jure irregularis quoad Ordines suscipiendos in casu?* et quatenus affirmative;

II. *An ei sit concedenda dispensatio in casu etc.?*

S. C. resp.:

*Ad I.:* Affirmative.

*Ad II.:* Pro nunc negative.

Die 10. Junii et 2. Decb. 1724.

Gelasius I. dil. fr. Episcopis per Lucanicam, Brutios et Siciliam constitutis.

Usque adeo sane conferimus, illicita quaeque prorumpere, ut daemoneiacis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positus aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremo si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permittit: quanto magis doni coelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente percussos?

Die 11. Mart. 494.

(Bull. r. t. I. p. 105 n. 21. Ed. Aug. Taur. 1857.)

## OCCURRENTIA.

### 1) Festorum.

Vd.: *Concurrentia fest.; Translatio; Dies fixus.*

### 2) Festi dupl. in dominica.

*Ad dubium:* An officia transl. et fixa diebus, quibus aliunde deberet fieri Off. de ea, sint tanquam dies propriae eorumdem Sanctorum ad exclusionem cujuscunque alterius translati Sancti, qui possit aliquando contingere et insuper: *an occurrentia similia officia dupl. in die dominica possint*

*celebrari in tali die, ac si esset dies, eorum propria?*

S. C. resp.: Affirm. in Omnibus. Die 28. Julii 1742. In *Tergestina.*

## OCTAVA.

### 1) Cessatio.

Cf.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra etc.); *Patron. princip.* (Transl. festi); *Octava* (terminatio); *Festum* (extra suam oct. cadens); *Dies octava* (Ritus; decr. n. 3277); *S. Januar.* (Off.)

*Ad dubium* Benedictinor. Einsidl.: an in dominica Passionis infra Octavam s. Benedicti cadente et ejusdem dominicae in 1. vesp. sit omittenda commemor. octavae? S. C. resp.: In 1. vesp. facienda est commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur post dominicam Passionis; secus autem, si dies octava incidat in eandem dominicam Passionis, quia propter domin. privilegiatam cessat octava. n. 4044 (2do) ad 5 die 23. Julii 1736.

Quum Rmus Pampilonen. Ep. in praesentiarum etiam Apost. Administrator Archidioec. Burgen. compererit inter Directores s. Functionum in Hispania diversas vigere opiniones circa continuationem Octavarum, quae alicubi locum habent, dum supervenit Solemnitas SSmi Corp. Chr., ac aliis pro viribus sustentibus cessandum omnino ab aliis Octavis superveniente Festo cum Oct. SSmi Corp. Chr., contradicant qui protuentur sententiam, intra eandem Oct. SSmi Corp. Chr. locum habere debere inchoatas alias Oct., pastoralis sui muneris esse duxit S. R. C. rogare ut super proposita controversia definitivam sententiam suam producere dignaretur ad exoptatam uniformitatem assequendam, eo vel magis quia utraque pars suam communitat sententiam Decretis alias datis a S. ipsa R. C., non attendentes Decreta ipsa justissimis de causis data fuisse prout necessitates vel particulares circumstantiae exi-

Oblationem esse faciendam in loco presbyterii. n. 2433 ad 1 die 21. Apr. 1668.

Oblationes et eleemosynae inter missarum solemnias possunt recipi a Regularibus, qui possunt se vertere ad populum et generalem confessionem pro eo facere, sistendo in medio altaris, non autem illinc discedendo et Ecclesiam circumeundo. S. C. C. 25. Sept. 1629.

Sacerdoti missam novam celebranti licet Oblationes accipere, modo non discedet ab altari. S. C. Ep. 11. Oct. 1601.

### 2) In Ordinatione.

Vd.: *Ordinatio* (oblatio).

### 3) In Parasceve.

Consuetudo, ut Oblationes, quae offeruntur cruci in feria VI. Parasceve, dentur Magistris Caeremon., servanda est. S. R. C. 29. Novb. 1603.

Cf.: *Lanx*.

## OBLIGATIO CELEBRANDI.

### 1) Canonicorum ad celebrandum et inserviendum.

Vd.: *Canonici* (celebrantes, decr. n. 172 et 305).

### 2) Episcopi.

Vd.: *Festum solemne; Functiones pontificales; Nativit. Dom.* (Missae, decr. n. 4603, nota); *Pontificalia*.

*Ad dubium:* Caditne sub praeepto assistere et celebrare in Vesperis, Matutinis, Laudibus et Missa in diebus, in quibus Pontificale et Caeremoniale loquuntur de caeremoniis observandis a Pontifice seu Episcopo?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 14. n. 11. et cap. 29. n. 1.

positivum praeeptum imponit Episcopo legitime non impedito celebrandi per seipsum in die Nativitatis D. N. J. Chr.: in aliis vero solemnioribus enumeratis in cap. 34. n. 2. decet, maximeque convenit, ut Sacrum solemne faciat, prout etiam, ut Pontificalibus indutus in aliis, quae ibidem indicantur n. 4, Vesperis, Matutinis, Laudibus et Missae per Dignitatem vel Canonicum celebratae assistat.“

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. N. 4565 ad 8.

### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quamquam Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 34. enumerando Festivitates, in quibus solemne est, ut Episcopus vel pontificaliter celebret vel in pontificalibus S. Mysteriis assistat, non praeeptiva verba adhibeat, sed iis utatur, quae congruentiam, decentiam, facultatem important, videlicet: *decet, poterit etc.*, nihilominus solemniores, aliqui sunt dies, in quibus, nisi legitime impeditus fuerit, per se ipsum omnino celebrare tenetur. Sunt autem dies Nativitatis Domini et Dominica Sanctae Paschae. Quoad hosce dies idem Caeremoniale forma utitur prorsus diversa, quae praeeptiva est. Agens lib. 2. cap. 14. de Festo Nativitatis Domini, ponit in arbitrio Episcopi primam Missam in nocte, non item tamen quoad tertiam: *Episcopus vero (sic n. 11) non sumet Purificationem (si in nocte celebraverit) et in fine post Benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Missa, quam omnino cantabit Episcopus in die, erit Indulgentia publicanda.* Et cap. 29. n. 1. legitur: *In die Paschae Resurrectionis D. N. J. Chr. Episcopus, nisi aliquo legitimo impedimento fuerit praepeditus, Missam solemnem omnino celebrare debet.* Ubi notandum est, quod ad praeeptum imponendum satis erit ver-

bum debet; additur tamen illud omnino, ut sciant Episcopi gravem sibi obligationem inesse celebrandi pontificaliter Missam in diebus Nativitatis Domini et Paschatis, nisi legitimum intercedat impedimentum; in aliis vero diebus magnae solemnitatis, qui enumerantur cap. 34. n. 1., licet non urgeat praeeptum, decet et congruit, ut Episcopi Sacrum solemne per se ipsos faciant. Quod si non legitime impediti negligenter, populo ipsis commisso occasionem scandali et offensionis praerberent.

### 3) Sacerdotis.

Vd.: *Missae* (oblig. celebr.); *Missae* (in altari etc.).

## OBSESSUS A DAEMONE.

### Inhabilis.

### Mediolanen.

(Conc. Tr. C. 7. Sess. 14. De Ref.)

Hieronymus Antonius Bonacino Clericus Mediolanensis et constitutus in aetate annorum 23 cupit Sacris Ordinibus initiari supplicatque pro dispensatione ab irregularitate forsitan contracta, ex quo quatuor abhinc annis fuit Energumenus sive Arreptitius vel a Daemone obsessus; duo enim jam anni elapsi sunt, quorum decursu nullam, Deo dante, passus est a Daemone vexationem, quae circumstantia nedum in ejus supplici libello exponitur, sed etiam confirmatur in Informatione Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi, in qua haec habentur: *cum itaque irregularitas in causa per Oratorem proprio delicto aut defectui non sit adscribenda, jure merito sperare potest gratiam, pro qua supplicat; maxime cum jam labatur biennium, quo omnino liber ab omnibus reputatur, cum nullum recidivae signum dederit,*

*fidem de praemissis facientibus de credulitate publicis Exorcistis.*

Scribentes de hac materia in varias dividuntur opiniones. Nonnulli putant, eum, qui a Daemone obsessus fuit, si a vexatione liberatus est, posse ad Ordines promoveri, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiae nota et occasio offensionis. *Gonzal.* in cap. *cum de tua* num. 10. de corpore vitiatis, *Gibollin.* de Irregul. cap. 3. consecr. 9. per totum, *Diana* rerum moral. tom. 5. in edit. coord. tract. 5. resolut. 60. Alii e contra putant, ad Ordines promoveri non posse illum, qui fuit Energumenus, etiamsi liberatus sit, posse tamen in Ordinibus susceptis ministrare, si per spatium unius anni non fuerit a Daemone vexatus et Episcopus eum dispensaverit, *Suarez* de Censuris disput. 51. sive ultima sect. 1. n. 7., *Sayrus* eodem tract. de Censuris lib. 6. cap. 9. n. 14. pag. mihi 510, *Bonacina* Operum Moral. tom. 1. disput. 7. de Irregul. punct. 2. propos. 1. n. 24., *Majol.* de Irregul. lib. 2. cap. 17., *Leander* Operum Moral. part. 5. tract. 1. disput. 3. quaest. 14. et quaest. 16. Nec desunt admittentes, quod obsessus olim a Daemone, licet liberatus, ad ultiores Ordines ascendere non possit, si sermo sit de ascensu ad Ordines majores, secus autem, si quaestio sit de ascensu ad Ordines minores, uti videri potest apud *Bonacina* et *Sayrum* loco cit., contendentibus aliis, praeeclusam esse Arreptitio, quamvis liberato, viam ad Ordines ultiores, sive sermo sit de ascensu ad Ordines majores sive ad Ordines minores, uti plene videri potest apud *Leandrum* loco cit. quaest. 15. Haec quoad opiniones Scribentium et in eo, quod attinet ad Sacros Canones, in quibus unaquaeque ex recensitis opinionibus suum constituit fundamentum. In nonnullis arcere videtur tam ab Ordinum receptione quam a re-